

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Compassio o
cum uariis

Triplex est modus compassionis: est quippe compassio alia ex uicio, alia ex natura, alia ex uirtute. Compassio ex uicio est quando affectus illic reprehensibili dolore tangitur ubi illicito prius amore tenebatur. Compassio ex natura est quando ex insito sibi pietatis affectu animus alienis erumpnis condolet quociens contra pietatis uel humanitatis mensuram naturam primi siue affligi uidet. Compassio ex uirtute est quando propter Deum alienis doloribus compatimur, cum scilicet iusticiam premi uel innocenciam affligi uidemus. Compassio ex uicio culpabilis est, compassio ex natura irreprehensibilis, compassio ex uirtute laudabilis; prima reprehenditur, tertia laudatur, secunda nec culpam habet quia ex natura est, nec premium quia ex uirtute non est.

Hugo de tribus uoluntatibus in Christo.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

alia ex natura *om.* P V¹; erumpnis *om.* P V¹ V² L¹ L²; primi] premi M P V¹ V² L¹ L²;
irreprehensibilis] est *add.* M P V¹ V² L¹ L²; laudabilis] est *add.* L², est. Compassio ex
uirtute laudabilis, *add.* V² L¹; premium] primum P V¹; uirtute] uirtutibus (*cor. intra*) B